



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

IV. De procuratoribus episcoporum ad Concilium mittendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

libus & collegiatis, sit penitus interdicta. Quod si secus factum fuerit, sit irritum & inane. Insuper volumus, & districte præcipiendo mandamus, quod quilibet episcopus quotiescumque ordines habeat celebrare, \* tunc omnia promouendis coram se vocatis constitutionem dicti domini legati, quæ incipit, *Detestandam prælatorum auaritiam*, in Latino & vulgari faciat publicari.

\* f. ante  
omnia

III.

In alia etiam constitutione eiusdem legati, quæ incipit, *Cathedrales ecclesiæ*, statutum est ut in qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia aliqui clerici ex \*beneficiis apti & docibiles, iudicio episcopi vel prælati & capituli, saltem unus ex decem de residētibus assumatur, qui ad studia generalia theologiæ & iuris canonici ac liberalium artium accedere compellatur. *Quia nonnulli in executione huiusmodi constitutionis sunt remissi*; volentes eorum negligentiam iuris executione suppleri, sacro approbante Conclilio statuimus, vt si infra sex mensium spatum, iuxta constitutionem ipsam ad studia literarum mittere distulerint, extunc ea vice potestas eligendi & mittendi ad nos & successores nostros totaliter deuoluatur, consuetudinis vel statuti illius ecclesiæ obstaculo non obstante. IV.

Cum vero in cōstitutione domini Ioannis quondam archiepiscopi Toletani prædecessoris nostri, quæ incipit, *Episcoporum negligentiæ*, contineatur, quod episcopi in casu, in quo fuerint legitime impediti, & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad Concilium procuratores idoneos de statu pro-

\* f. be-  
neficiarii

ANNO CHRISTI  
1339. priarum ecclesiarum & diœcesum informatos , statuimus quod episcopi taliter impediti procuratores alios ab illis qui per eorum capitula fuerint constituti, mittere teneantur. Quod si secus actum fuerit, contra eos perinde procedatur, ac si neminem transmisissent.

V.

Cum nonnulli rectores ecclesiarum & eorum vicarii in obseruando constitutionem generalis Concilii , quæ incipit, *Omnis utriusque sexus, inueniantur hactenus negligentes plurimum & remissi;* ideoque vniuersis & singulis ecclesiarum rectoribus, eorum vicariis, sub pœna excommunicationis præcipiendo mandamus , quatenus dictam constitutionem diligenter obseruent , & nihilo minus quilibet eorum in sua parochia nomina suorum parochianorum , qui ad annos discretionis peruererint , annuatim in scriptis redigant : & illos qui sibi vel alteri potestatem habenti , de quo constet ei, confessi fuerint, consignet , eosque ad recipientum eucharistiam excitet. Quod si eam non receperint , nisi de consilio proprii sacerdotis abstineant : nec non & reliqui non confessi post lapsum anni ab ecclesia, donec confessi fuerint, expellantur , & si sic decesserint, ecclesiastica careant sepultura.

Datum in ecclesia Toletana xiv. Kalendas Iunii anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono , indictione septima, pontificatus sancti patris & domini nostri, domini Benedicti diuina prouidentia papæ XII. anno v. quo dictum Concilium extitit terminatum, sub sigilli nostri appensione, præsentibus Blasio Eximini archidiacono

Q. iii